

**Dissertatio medica inauguralis, de apoplexia sanguinea ... / eruditorum
examini subjicit Jacobus Barclay.**

Contributors

Barclay, James, 1784-1811.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebant Adamus Neill et socii, 1805.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/mz5ewr3e>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>





3

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

APOPLEXIA SANGUINEA.



DISSECTATIO MEDICA

IN AURELIAM

APOLLINIA BANCINIENSIS

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
APOPLEXIA SANGUINEA ;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,
D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI ;

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU ; ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO ;

PRO

GRADU DOCTORIS,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS ;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JACOBUS BARCLAY,

SCOTUS.

VIII. Calendarum Julii, horâ locoque solitis.

“ Non lingua valet, non corpore nota

“ Sufficiunt vires, nec vox nec verba sequuntur.”

VIRG.

EDINBURGI :

EXCUDERANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

M DCCC V.

DISSEMINATED MEDICAL

LIBRARY

APOLLIXIA BANGUINBA

1844

APOLLIXIA BANGUINBA

APOLLIXIA BANGUINBA

D. GEORGE B. BIRD, M.D.

APOLLIXIA BANGUINBA

1844

APOLLIXIA BANGUINBA

APOLLIXIA BANGUINBA

1844

APOLLIXIA BANGUINBA

APOLLIXIA BANGUINBA

APOLLIXIA BANGUINBA

APOLLIXIA BANGUINBA

JACOBUS BANGUINBA

1844

APOLLIXIA BANGUINBA

APOLLIXIA BANGUINBA

APOLLIXIA BANGUINBA

APOLLIXIA BANGUINBA

1844

APOLLIXIA BANGUINBA

APOLLIXIA BANGUINBA

APOLLIXIA BANGUINBA

1844


APOLLIXIA BANGUINBA

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

APOPLEXIA SANGUINEA.



PROOEMIUM.

QUAMVIS, primo aspectu, machina,
qualis est humanum corpus, nisi causâ
aliquâ externâ læsa, in omne ævum durabilis
videtur; tamen, ex quo tempore nascuntur
mortales, à plurimis causis patiuntur. Non
solùm homo robustus labentibus annis solvi-

A

tur,

2 DE APOPLEXIA SANGUINEA.

tur, moriturque ; sed, ab aliis causis, ut a vitæ genere, victu, ipsoque etiam cœlo, ægrotat. Plurimis, etiam, morbis, iisque sanè gravibus, obnoxius est ; ex quibus omnibus, pauci magis diri sunt, quàm Apoplexia : et, de hoc disserere in animo est.

C A P. I.

DE DEFINITIONE ET HISTORIA.

Definitione APOPLEXIÆ, ab illustrissimo CULLENO, datâ, utpote omnium adhuc propositarum præstantissimâ, utar.

*“ Motus voluntarii ferè omnes imminuti, cum
“ sopore plùs minùs profundo, superstite motu
“ cordis, et arteriarum, ”* definitur.

Genus

Genus APOPLEXIA in species varias, ab auctore supradicto, dividitur, per symptomata earumque causas, dignoscendas. Illa, de qua in præsentì disserere statui, ab aliis, nomine *Apoplexiæ sanguinæ* discernitur, et describitur, “*Apoplexiâ cum signis plethoræ universalis, et præcipuè capitis.*”

Impetus ejus, tametsi, subitos interdum, atque improvisos, symptomata quædam, propensionem notantia, plerumque antecedunt.

Sic, animadverterunt, illos, quibus supervenerant hujus morbi impetus, primùm, capitis doloribus, vertigine, visu audituque pravis, capitis plenitudine, etiamque sensu ponderis, tinnitu aurium, et temporum quasi pulsatione, affectos esse.

Occurrunt

4 DE APOPLEXIA SANGUINEA.

Occurrunt aliquando hæmorrhagiæ ex naribus crebræ, et inflammatio alterius vel utriusque oculi. Lingua balbutit. Motus voluntarii, sensusque omnium vel quorundam artuum, imminuuntur. Torpor ferè permanens, cum stertore in somno, memoriæ et iudicii defectus, sæpè etiam affectionem hanc prænunciant. Incubus quoque, inter præcursores hujus morbi enumeratus est.

Porro, prior vitæ ratio, corporisque constitutio et forma, et vultûs color, proclivitatem ad hunc morbum indicant. Ingravescentem ætatem præcipuè aggreditur, et maximè eos, quibus caput magnum, collumque breve est, et corpus obesum; qui lautè et opiparè vivere solebant, et effrænatis animi affectibus indulgere.

Sæpè, nihilominùs, accidit apoplexia illis,
qui

qui nulla experti fuerunt signa, quæ monuis-
sent de adventu tam diri mali. In hujusmodi
casibus subitò invadit morbus; ægrique con-
cidunt, omni motu voluntario privati, cum
stupore, et quasi alto sopore.

In levioribus verò casibus, æger, quamvis
titubans, semet aliquandiu sustinere potest,
et ambulare, et loqui quamvis parùm di-
stinctè, atque ejus sensus signis gestibusque
quodammodo indicare. Ingravescente verò
malo, æger brevi prorsùs stupet, facies rubet,
et sanguine turgēt: et oculi quasi ex orbitis
protruduntur, immobiles. Interdum, palpe-
bræ, vel altera vel utraque, plùs minùs re-
solvuntur et cadunt; vultus ipse detorque-
tur, musculis scilicet alterius lateris planè re-
solutis. Pupillæ, vel, præter solitum, dila-
rantur, vel contrahuntur; neque oculi lucem
sentiant.

6 DE APOPLEXIA SANGUINEA.

sentiunt. Aures, non afficit clamor vehemētissimus; nequē effluvia acerrima, nares. Artus relaxantur et flaccescunt; et, quamvis maximē irritati, non ad motum cientur.

In apoplexia, maximē afficitur latus alterum; nec rarò, dum alterum planē resolvitur, alterum convulsionibus agitur.

Respiratio valida et laboriosa est, sed non semper cum stertore. Arteriarum pulsus, plerumque pleni, tardi et duri sunt: et carotidum pulsus usque ad distantiam insignem conspici possunt. Fæces et urina sæpè inscio ægro dejiciuntur, et spuma ex ore sæpè fluit; tandemque, morte instante, corpus totum gelido sudore madet.

Sæpè post apoplexiam, superest *hemiplegia* vel interdum *paraplegia*, læsiones etiam memoriae,

moriæ, et judicii, ita ut ægri, imbecilli, soporosi, pusillanimes, remanere solent.

C A P. II.

DE CAUSIS.

CAUSÆ remotæ, in duas classes, *PRÆDISPONENTES* scilicet, et *OCCASIONALES*, reduci possunt.

Ad *PRIOREM* referuntur:

Ætas senilis,—præsertim ubi adest plethora venosa, obesitasque immodica; quarum utraque, congestionem sanguinis in capite paulatim inducit, et sic apoplexiæ viam sternit.

Vita

8 DE APOPLEXIA SANGUINEA.

Vita sedentaria, et victus nimis plenus, plethoram inducentes, eodem tendunt.

Caput magnum et collum breve, ad hunc morbum inducendum nonnihil conferunt. Nam, sanguis in hujusmodi hominibus, ob breviorum cursum per arterias carotidas, ad caput nimio impetu vehitur; et hi, quibus collum est brevius, morbo magis obnoxii; dum alii eodem vitæ genere utentes, quibus collum longius est, incolumes plerumque evadunt. Porrò, venæ illorum jugulares externæ, cervicis flexione magis in diametro imminuuntur. Et verisimile est, caput justo grandius, plus æquo sanguinis accipere.

Hæc forma capitis et colli causa quodammodo est, cur nonnunquam hæreditaria sit apoplexia, saltem in quibusdam familiis valdè frequens.

CAUSÆ

CAUSÆ OCCASIONALES, sunt :

I. Quæcunque, sanguinis quantitatem au-
geant, vel ipsius motum concitent. Hujus
generis sunt :

Exercitatio corporis vehemens.—Hæc san-
guinem ad caput majore vi propellit. Omnis
enim musculorum contractio, ejus circuitum
accelerat ; quo fit, ut is in vasis minùs pressis
congeratur, et igitur in vasis cerebri, quæ in-
terdum rumpuntur.

Pathemata animi violenta.—Horum, ira,
lætitia, et subitus terror, imprimis, hunc mor-
bum excitant.

Illæ multùm vasa sanguinem vehentia sti-
mulant, et præcipuè in capite ; faciem enim

B

rubore

rubore suffundunt, et epistaxin sæpè excitant.

Ebrietas, aliique stimuli ; *frigoris calorisque subitæ mutationes* ; *evacuaciones solitæ suppressæ*, ut epistaxis, menses, veteres fonticuli, aut similia ; *ullius artûs detruncatio*, aut *arteriæ magnæ compressio*, causæ mali occasionales quoque sunt.

II. Omnia, quæ sanguinem capiti nimiùm impellant : ut,

Capitis inclinatio.—Hæc non solùm a capite, cursui sanguinis obstat, sed etiam id versus ejus impetum multùm auget.

Compressio arteriæ subclavianæ, aut aortæ descendentis, a tumoribus, causisve aliis, ut ventriculo nimis pleno.

III. Quæ

III. Quæ reditum sanguinis a capite impediunt : ut

Situs capitis pronus ; compressio colli externa, ut a ligatura collo circumdata, venas multò magis quàm arterias comprimente, unde nimia vasorum cerebri distensio.

Polypus etiam, aut alia, propter quæ sanguis, non facilè ex venis in auriculam cordis dextram, revertere potest ; impeditus motus sanguinis per pulmones, veluti ab inspirationibus plenis longisque.

Patefactis eorum cadaveribus, quos sustulit hic morbus, alia aliàs oculis obveniunt. Vasa cerebri, contra naturam turgida reperta sunt ; et sæpè nulla alia morbida in conspectum veniunt. Haud rarò, tamen, adest sanguinis inter *meninges* cerebri, multò verò sæpiùs
 intra

intra ventriculos, effusio. Tunica arachnoidea, item, in forma vesicularum distensa, visa fuit; etiamque pars ventriculorum ipsorum interna.

Ex his, nobis concludere licet, compressionem magis minusve generalem, aut cerebri aut cerebelli unicam hujus morbi causam, ex observatò, *proximam esse.*

C A P. III.

DE DIAGNOSI.

NOSOLOGICI Coma, Torporem, Carum, et alios morbos soporosos, sub diversis generibus collocaverunt.

Ingeniosissimus

Ingeniosissimus autem CULLEN, solertiâ solitâ, hunc errorem emendavit, et rectè monuit, hos morbos, ex apoplexia gradu solummodò discrepantes, minimè ex ea secerni debere; et igitur ille, hos sub ordine *COMATUM*, ad genera duo, *Apoplexiam* et *Paralysin*, redegit; inter quos etiam in gradu solo discrepantes, hæc differentia solummodò intercedit, ut stertor, sopor profundus, et motuum voluntariorum *omnium* imminutio, ad constituendam *Paralysin* non sunt necessaria.

Inter morbos qui *Apoplexiam* referunt, *Epilepsia*, *Syncope*, *Hysteria*, et *Ebrietas*, præsertim enumerari debent.

Ab *Epilepsia* distinguitur, quòd in hoc morbo totum corpus convulsionibus plerumque agitatur; dum in *Apoplexia*, motus convulsivi, siqui adsint, unum latus solummodò

corripere

corripere solent. Aura epileptica, quoque, interdum ad diagnosin certiozem stabiliendam confert.

A *Syncope* discernitur hic morbus, quòd in eo extrema frigent; facies pallet; pulsus deficit; et respiratio ferè suspenditur. In *Apoplexia*, verò, abolitis actionibus animalibus, respiratio perstat; arteriæ fortiter pulsant; facies plerumque rubescit; et partes extremæ calidæ ut plurimùm deprehenduntur. Oculi, in *Syncope*, languidi, sæpè clausi manent; in *Apoplexia*, contrà, fixi sunt et semi-aperti. Ex temperamento, habitu, et forma corporis etiam, de natura morbi certius constabit.

Ab *Hysteria*, *Apoplexia* discriminatur, si animum ad signa prænuncia advertimus. In *Hysteria*, occurrit dolor capitis lancinans, cui

nomen

nomen *clavus hystericus* dari solet. In ventri, murmura, ac soni varii audiuntur; et sensus globi, ad fauces ascendentis, ibique strangulantis, plerumque percipitur. Ætas, quoque, ad diagnosin certiolem reddendam conferre potest; Hysteria enim, plerumque juvenes, Apoplexia autem ætate provectos, aggreditur.

Ebrietas etiam nonnunquam Apoplexiam mentitur: hinc semper necessarium est interrogare an ebrietatis causæ præcesserint, vel ægri anima liquores inebriantes redoleat.

Aliæ species Apoplexiæ, ab aliis haud difficilè distinguuntur.

Illi, de quâ scribimus, referendæ sunt species *mentalis* et *cataleptica*; quia, tantùm, a causis eorum remotis dignoscuntur.

Apoplexia

Apoplexia traumatica, a vi externa capiti illata, sæpè cranio fracto, facilè a specie nostra distinguitur.

Ab *Apoplexia serosa*, si animum ad res comitantes advertimus, species *sanguinea* facilè discernitur. In hac videntur signa plethoræ universalis; pulsus validus est et durus, vultus floridus. In illa, facies pallet, pulsus languet, et supervenit lentiùs morbus.

C A P. IV.

DE PROGNOSE.

EVENTUS hujus morbi plerumque infaustus est; nam, quanquam interdum remediis vincitur,

citur, sæpiùs tamen mortem aut hemiplegiam infert.

Quò magis urget sopor, quò pulsus et respiratio magis afficiuntur, quò ætate provectior est æger, eò periculosior est morbus ; et siquando ani sphincter resolvatur, et fæces in scio ægro elabantur, et materia spumosa ex ore fluat ; si etiam sudores frigidi erumpunt, cum oculis fixis, semi-apertis et vitreis ; tum nulla spes superest.

His autem contraria, minus periculi indicant. Lenis Apoplexia (secundum BOERHAAVE et VAN SWIETEN) interdum quibusdam exinanitionibus solvitur ; scilicet, “ sudore multo et æquabili, hæmorrhoidibus largis, menstruo restituto,” &c. ; et quanquam verisimile sit, eos qui sanabiles sunt, plerumque reviviscere sine ulla tali exinanitione ;

C

tamen,

tamen, benè notandum est, talem exinanitionem nonnunquam esse faustam.

De eventu hujus morbi quoque dijudicamus, ab effectu remediorum. “ In paroxysmo apoplectico, si post sanguinis missionem levamen sequitur, salutis spes quædam affulget; sin verò post hoc, et alia remedia, affectus supra nycthemeri spatium, sine remissione persistit, aut in deterius vergit, de ægrotante conclamatum est *.”

C A P. V.

DE RATIONE MEDENDI.

Duo sunt medendi consilia :

Imò,

* WILLIS, cap. viii. pag. 140.

1^{mo}, Morbum præsentem tollere.

2^{do}, Reditui ejus in posterum occurrere.

PRIMO CONSILIO, summi momenti est, sanguinem in vasibus cerebri congestam amovere.

Quibus amoveatur plenitudo, paucis explicabimus.

Missio sanguinis.—Auctores ferè omnes, qui de hoc morbo tractaverunt, sanguinis missionem suadent; nam nulla exinanitio, citiùs efficaciusve, paroxysmo præsentem, symptomata mitigant.

Quantitatem detrahendam largam esse oportet, iteratamque, secundum symptomatum violentiam, ægri ætatem, et effectus qui inde profluunt.

profluunt. Ex diversis partibus mitti potest sanguis; sed, si fieri potest, arteria temporalis, vel vena jugularis externa cum majore fortè beneficio, quàm brachialis, solvitur.

Si nihilominùs, cerebri vasa sanguine maximè opprimuntur; et si arteria vel vena non satis commodè secari potest; tum cucurbitulæ post scarificationes, aut hirudines, ad vasa deplenda, maximè conducent.

Nonnulli, quibus persuasum est, vitium cerebri, in latus ei quod paralysi corripitur, oppositum, semper incumbere, perhibent sanguinem ex latere corporis illæso detractum, magis valere.

Hoc, autem, parùm forsàn interest, et multò magis ex quantitate detracta pendet.

Cathartica.

Cathartica.—Plurimum confert ad apoplexiam sanandam alvi purgatio. Fæces enim in intestinis cumulatae et induratae, corpus irritant, et fortassè aortam descendentem comprimunt; unde sanguis, nimiâ vi, caput versus propellitur. Prætereà, alvi purgatio corpus deplet, impetum sanguinis minuit, et humores deorsum à capite derivat: et inter cerebrum, alvumque est consensus ita insignis, ut sese magnoperè invicem afficiunt.

Cathartica, post sanguinis missionem opportunè sæpè in auxilium veniunt; iis quæ alvum leniter solvunt, acriora sæpè præstant; et hunc in finem, *submurias hydrargyri, jalapa*, et alia similia, commodè dantur.

Vesicatoria.—Ad hæc, postquam diathesis phlogistica imminuta fuit, optimè decurritur,

et

et alicui capitis parti applicari debent, et sæpiùs iteranda sunt.

Aquâ perfrigidâ, vel similibus, caput fovere, ut ad phrenitidem, sic ad apoplexiam removendam, utilè reperitur.

Pediluvium, ut in cephalalgia, etiam in apoplexia, revulsione factâ, utile reperitur.

Calor externus evitandus est, omnisque irritatio ; capitis situs pronus, quoque, qui non solùm a capite cursui sanguinis obstat, sed etiam id versus ejus impetum multùm auget.

SECUNDO CONSILIO.—Non satis erit causas excitantes vitare, si non eodem tempore prædisponentibus quoque occurritur ; itaque, sanguinis detractio, exercitatio modica, ac frequens

quens, et parca diæta, ex vegetabilibus et lacte, præcipiendæ sunt.

Abstinentia.—Ne corpus plenius justo fiat, oportet ægrum, quàm maximè poterit, abstinere a carnibus, saccharo, et oleosis, quippe quæ corpus pinguefaciant et impleant. Pro his, debet terrâ natis farracei potissimùm generis vivere; neque his quidem se ingurgitare licet, ne nimia stomachi plenitudo morbum invitet.

Eundem in finem, a vino, et omni potu meraciore, *vino pomaceo et pyraceo*, cerevisia, et aliis potulentis, quæ inflatione stomachum distendunt, abstinendum est.

Ætate autem admodum provec̄tis, oportet sæpè victum nonnihil pleniorẽ concedere, ne vires ipsorum nimis infirmentur.

Exercitatio

Exercitatio modica.—Ne huic morbo obnoxius, sanguine, supra modum, plenus fiat, debet semet quotidie exercere. Hoc, in morbo arcendo, haud parùm sæpè valet; sanguinem enim ex partibus interioribus ad superficiem avertit, et eodem tempore plethoræ occurrit. Evitanda est tamen, exercitatio laboriosa, quæ, vi et velocitate circulationis augendâ, impetum inducat. Vegetis et robustis leniter ambulare licet, vel equitare; sed ætate provectis, vel multâ obesitate gravibus, vectio in rheda, et alia quævis gestatio lenis, magis conveniet.

Sanguinis missio.—Nullum remedium ei magis occurrit, quàm sanguinis abstractio libera, si adsunt signa instantis apoplexiæ. Si autem paroxysmus non instat, hæc medendi ratio minimè convenit; plethoræ enim et igitur morbo in posterum faveret.

In casibus præsertim ubi morbus ex obstructis evacuationibus solitis imminet, *setacea* alicui capitis, vel cervicis parti, indita, plethoræ efficaciter occurrentia commodè adhiberi possunt.

Alvi exinanitio frequens.—Paroxysmo urgente, cathartica, quæ alvum citissimè movent, utenda sunt, post sanguinis detractio- nem. Sed leniora, et præsertim quidam ex *salibus secundariis*, in morbo arcendo multùm valent.

A *nicotiana*, abstinere necesse erit; utpote quæ caput versus, sanguinis fluxui plus justo favet. Sed iis qui ea uti, diu assueverant, tutiùs esset non omninò desistere, sed temperatè uti.

Somni excessus cautè vitari debet, utpotè plenitudinem, obesitatem, flacciditatem, et ad omnia vitæ munera impotentiam, inducens.





